

MEGINHERVS ABBAS HERSVELDENSIS.



Meginherus eruditione & pietate nulli suo tempore secundus extitit. Hic in sua adolescentia, ut commodius literis incumbere posset, monasterium Hirsveldense, in quo celeberrima schola extitit, ingressus est. Ibi cum indies doctrina & uirtutibus proficeret, eius loci abbas omnium consensu electus est. Erat hic (ut Lampertus Schaffnaburgius eius loci monachus inquit) uir magnarum in Christo uirtutum, & uerè (quod omnium aliorum abbatum pace dixerim) unicū sua ætate in Teutonicis regionibus recte ac monastice uiuendi exemplar. Ab eius disciplina Lampertus insalutato Hierosolymam discesserat, atq; plurimum timebat, ne ante iuum redditum, priusquam ei reconciliaretur, is in Dominō obdormiret. Verum Dei benignitate eum salutem inuenit, atq; obuijs ulnis ab eo receptus fuit. Cum etiam ab eo absolutionem impetrasset, Meginherus eodem die febre correptus interiit, quasi ex industria uita eius ad Lamperti redditum conseruata fuisset.